



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dictamen Illustrissimi ac Reverendissimi P. Mag. Fr.  
Gabrielis Adarzo de Santander, Episcopi Viglevanensis,  
Ad Interrogata respondens Circa Exclusivam, quandoque  
à Principibus interpositam, ne ...**

**Adarzo, Gabriel**

**Frankfurt, 1660**

[§. XI.] Videtur approbata & concessa.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10517**

*Exclusiva approbata videtur & concessa.*

**C**Um nullibi Exclusivam nostram interdictam in- 77  
veniam, & ex alia parte eam sàpè practicatam au-  
diam: videtur dicendum, quod ipsa tacitè approba-  
ta sit & concessa.

Probatur; multoties extitit Exclusiva à Principi-  
bus interposita, & tamen nullus Pontificum, qui in  
minoribus constituti testes oculati de eâ fuere, pòst ad  
Pontificatus apicem assumptus eam aut damnavit,  
aut ut illicitam reprehendit, aut ut non expedientem:  
Videtur ergo approbata & concessa. Patet conse-  
quentia; nam secundum jura & Doctores, sciens  
actum, quem contradicendo poterat impedire, si  
non contradicit, videtur eum approbare *leg. sàpè, ver-*  
*su, sed scientibus, & vers. cui autem ff. de re judicata:* quem  
textum ut magistralem & rotundum allegat Jason *leg.*  
*qua dotis num. 76. ff. solut. Matri, Marcelus dicta leg. sàpè.*  
Videatur Craveta, conf. 237. col. 2. versu Tertio, qui alle-  
gat plura jura & Authores, etiam quoad actus perjudi-  
ciales: Ergo si Pontifices in suis creationibus Exclu-  
sivam, quo ad aliquem, viderunt, & nullus pòste am  
improbavit, cùm posset: Videtur dicendum, quòd

R omnes

omnes Pontifices, quotquot de illius interpositione testes oculati fuerunt, eam approbarint & concesserint, ut Ecclesiæ utilē & conducentem ad electionem de meliori.

78 Confirmo hoc: nam simili fundamento Martinus Magerus de *Advocat. armata, cap. 6. num. 574.* & alij, quos suppresso nomine refert Doctissimus P. Diana *tomo 10. tract. 7. resolut. 5.* affirmant facultatem apponen- di ad portas stemmata Imperatoris ac Regum (quibus Eminentissimi Cardinales ornant Romæ suorum Palatiorum frontispicia) esse à summis Pontificibus concessam: ut exinde evincant, nullum præjudici- um contra supremum Pontificis dominium resultare ex clientela, p' talem stemmatum appositionem signi- ficata. Probant autem prædictam stemmatum apposi- tionem à Pontificis voluntate descendere, dicendo, quod sciens actum, quem contradicendo poterat impedire, si taceat & non impedit, habetur pro consentiente (quod pluribus iuribus probant) sed Pontifices vident prædicta stemmata & tacent, cùm impedire possent, ergo consentiunt tali appositioni. Et concludunt dicendo sic: *Vnde regula communis est, quando geritur actus pertinens ad alicujus particularis commodum vel incommodum, & sciens illum non improbat, videtur cum tacite comprobare, secundum Bartolum leg. quo enim ff. rem ratam habe-*

haberi : & loquitur ibi Bartolus quando actus est gestus in absentia partis , quæ postea habuit notitiam : nam si non contradicit , approbare videtur. Ergo cùm Summus Pontifex hæc omnia sciat & non prohibeat , videtur illa concedere : Hæc Magerus apud Dianam . Quæ benè nostrum discursum probant & confirmant.

Sic sentio salvo meliori Judicio : Viglevani die 10. Februarij. 1655. Quæcunque dixi , sub correctione Sanctissimæ Matris Ecclesiæ dixi,

Sapientum item ac Eruditorum, qui legerint.

Ego Mag. Frater Gabriel Adarzo de Santander,  
ex Ordine Redemptorum S. Mariæ de Mercede , Episcopus Viglevanensis subscripsi.

R. 2

Epistola